sed ex crudeli inhumanitate. Homo hic extrinsecus quidem videtur amicus; sed agit tamquam inimicus felle plenus ficta apponens fratri suo crimina, & sibi temere vindicans judicis locum, cum ne Discipuli quidem meretur. Hac de causa illum vocat hypocritam. Quomodonam, inquit illi Salvator; adeo diligens esse potes in minoribus fratrum tuorum scelleribus corripiendis, cum tantum tibi ipsi indulges, & non vis oculos aperire, ut consideres scelera, quorum labe coinquinatus es? *Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Idem.*

Injuria, quam homo facit Deo judicans de proximo suo.

Dei unius est judicare, & homo judicans usurpat jus Dei. Hoc est crimen, quod contra Dei auctoritatem committit, & hæc potissima est ratio, propter quam proximus a nobis judicandus non est. Christiani judicantes non solum Dei lædunt auctoritatem, verum etiam vulnerant Jesu Christi Filii ipsius dignitatem; quia Deus illum judicem constituit. *Omne judicium dedit* Filio, & hic possidet quidquid ad bene judicandum requiritur. Nam primo habet auctoritatem quatenus Filius Dei. 2. Habet cognitionem; in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ Dei. 3. Habet veritatem: *Ego sum veritas.* 4. Habet potestatem: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Hoc illi datum fuit judicium in præmium judicii illius, quod subire voluit super terram. *Tradebat judicanti se injuste.* Hæc de causa nos judicare vetat. *Nolite judicare*; quia non vult sibi, quod suum est, auferri. Cum igitur judicatis, illius auctoritatem vobismetipsis vindicatis, jura ejus invaditis, vosmet in ejus locum obtruditis. Inspicite quot in uno crimine scelera patratis. Offenditis Patrem cœlestem, offenditis Filium, offenditis quoque Spiritum Sanctum, cujus est scrutari renes, & corda, hominum intentiones cognoscere. *Homilia Godeau.*

Judiciorum temerariorum nequitia.

Cum judicia temeraria sunt, recens illis accedit nequitia; quippe lædunt charitatem, in qua Evangelicæ legis perfectio consistit. Si actiones sunt ambiguæ, cur eas in deteriorem sensum torquetis? Nostis ne intentionem, qua fiunt, an nescitis eas ex intentione bonas fieri vel malas: *Si oculus tuus,* Dei Filius ait, *fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* De intentione nostra ferre judicium, Dei unius est; hic enim unus cognoscit illam; ideoque Sanctus Augustinus inquit; *de istis ergo, quæ sunt Dei nota, & nobis incognita, periculose nostros proximos judicamus. Idem.* Matth. 6.

Judicium temerarium est contra legem naturæ.

Judicium temerarium primam naturæ legem offendit, quæ vetat aliis facere, quæ nobis fieri nolemus. At quis ex vobis est, qui velit de actionibus suis ferri judicium, sicuti ille de alienis audet judicare? Quamobrem Dei Filius dicens, *nolite judicare*, addit & non judicabimini. Qui enim temere judicant alios, plerumque æquissima retributione & ipsi judicantur. *Temeritas*, S. Augustinus ait, *qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est.* Leontius Episcopus, qui S. Joannis Eleemosynarii Alexandrini Archiepiscopi vitam conscripsit, narrat, Eremitam Vitalium, qui in lupanaria ingrediebatur, ad meretrices convertendas colapho cæsum fuisse ab homine, qui illum in eas domos ingredientem conspiciens, arbitratus est eo libidinis causa sese conferre; atque hunc eodem temporis momento a dæmone alapa cæsum, obsessumque fuisse ab eodem, qui inde non nisi Vitalii jam defuncti precibus egressus est, cum energumenus in Sancti viri cellulam illatus fuit, ubi inventa sunt Angeli manu descripta hæc verba: *Alexandrini nolite judicare ante tempus. Idem.* Matth. 7.

Superbia fons temerarii judicii.

Judicium temerarium plerumque oritur ex secreta superbia. Nosmet facile proximo nostro præferimus; cumque intuemur actionem aliquam nostris præstantiorem efficere, ita natura constituti sumus, ut illam deprimamus, & in sequiorem partem detorqueamus semper tuiturí super illum eam laudem, quam nobis deberí contendimus. Oritur etiam ex invidia, quæ efficit, ut ægre, & gravati aliena merita feramus; qui effectus est sæpe ingenitæ improbitatis. Sunt enim spiritus suapte natura maligni, qui omnia in virus convertunt; qui acumine suo non utuntur, nisi ut alienis factis abrogent auctoritatem. Si factum improbare nequeunt, intentionem improbant; si bona videtur intentio, vitium aliquod in tempore, loco, modo, circumstantiis nanciscuntur. Quis es tu, qui audacter adeo *alienum servum judicas? Quis tibi in eum contulit auctoritatem? Domino suo stat, aut cadit.* Verum cum peccator sis uti es, iple audes ferre judicium de actionum, quas minime facis, probitate? Es libidinum plenus, exempli gratia, & dicis proximum tuum vel per avaritiam, vel per hypocrisim judicare. Templum non adis; & hypocritas dicis, qui illud frequentant. Sacris abstines mysteriis, & eos, qui sæpe iis se reficiunt sacrilegæ profanationis insimulas. Eleemosynam non erogas, & prodigalitatis nomine illam erogantes redarguis. Respice te ipsum, cumque criminosus sis, noli ascendere in Tribunal, ut judices fratrem tuum. *Godeau in Homilia.* 1. ad Cor. 4.

JURAMENTUM,

Perjurium, Blasphemia, Imprecatio.

MONITUM.

Etiamsi hæc peccata inter se differant, & alia aliis graviora sint, illa tamen hoc in loco sociabimus, eorum exemplum secuti, qui de illis verba fecere; seu quod omnia sub eodem genere continentur tamquam variæ juramentorum species, seu quod ab uno ad aliud facilis transitus patet. Quamobrem quidquid ad hoc pertinet argumentum sub eodem jurisjurandi titulo complectemur.

Animadvertendum est tamen hoc in loco non agi de illa jurisjurandi specie, quod fit spiritu Religionis, ac sensu reverentiæ erga Dei majestatem iis in occasionibus, quæ maximi habentur momenti, in quibus juramentum sæpe necessarium est ad veritatem, quæ asseritur, confirmandam; tunc enim juramentum tantum abest a crimine, ut immo cultus sit, Deo adhibitus, & Sacramentum, quo Deus testis vocatur, post cujus testimonium, ut Sanctus Paulus ait, lis quælibet est dirimenda. Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum.

Hic igitur dumtaxat sermo est de juramento, quod lege Dei prohibetur deque omnibus ejusdem speciebus, quæ sub eodem præcepto continentur, Non jurabis; *quamvis obiter, ac per transennam accidere possit sermo de jurejurando, quod permissum est ad argumenti elucidationem, atque ad eas auferendas dubitationes, quæ suboriri possent circa præceptum, quo cavet Dei Filius, ne omnino juretur; ubi satis esse debet concionatori explicare quomodo hoc intelligi debeat, omnesque industriæ suæ nervos contendere, ut horrorem ciat criminis vulgatissimi, quale est blasphemia, ac vanum juramentum.*

Denique si Concionator ut sese magis intelligibilem, ac popularem præbeat, explicare velit varias juramentorum, ac blasphemiarum species, quas impii ira furentes, maledicique mero, immo etiam in communibus sermonibus evomunt, non ita facile eas debet enuntiare, sed illis vocibus dumtaxat indigitare, quæ illarum cognitionem adstruant, ac omnem immittant horrorem, quem diabolicus his sermo meretur.

P A-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. Postquam affirmaveris in animo tibi non esse quamlibet juramenti speciem, & qualibet in occasione adhibitam condemnare, multoque minus veteres Patriarchas, sanctosque antiquæ, recentisque legis viros improbare; sed explicare solum præceptum, quo prohibetur juramentum, easque conditiones ostendere, quæ requiruntur, ut liceat, & quid præcavendum sit, ne in vacuum juretur: dices conditiones hasce in quarto Jeremiæ Prophetæ capite connotari: *Jurabis in veritate, & in justitia, & judicio.* Sunt autem 1. veritas, 2. Justitia, ne quis juret se aliquid injustum vel alia qualibet lege vetitum facturum esse; 3. judicium, & prudentia ne Dei nomen polluatur, si rebus futilibus, ac minimi momenti adhibeatur. Prima conditione Deus prohibet judicii falsitatem; altera omnem removet injustitiam, tertia denique levitatem condemnat, quæ tria Concionem partientur.

Pro prima conditione, quæ veritatem in juramento requirit; primum quod lex in juramento condemnet, est falsitas. Hujus rei afferenda sunt argumenta; eum videlicet, qui ita jurat, omnia Dei jura perfringere, vel illum in omnibus ejusdem perfectionibus lacessere; quia ipse suprema veritas est, suprema ratio, suprema æquitas. Illum autem rei falsæ testem vocare, idem est ac velle, ab illo mendacium probari: idem est ac tamquam calumniæ reum illum traducere, cum testis, ac sponsor accersitur eorum, quæ falsa esse scimus, & quæ vera esse affirmamus. Quæ autem Deo non infertur contumelia? Præterea pejerando læditur justitia, proximus enim hoc juris habet, ut veritas agnoscatur. Quantum in nobis est bona fides, atque sinceritas, quæ civilis societatis vinculum est, infringitur; lex naturalis prohibens mendacium violatur, idque potiori jure cum hoc per ea, quæ in Religione sacratissima habentur, probare contendimus; atque ita in perjurio blasphemia quoque, & sacrilegium nequaquam deesse videntur. Inde arripietur occasio ostendendi, quamplurimos Fideles sese hoc scelere obstringi quin ne animum quidem advertant; veluti Magistratus, Ministri, Ecclesiastici, Opifices cum promissi fidem non servant, & quod se facturos jurisjurandi fide interposita receperunt, non præstant.

Conditio altera, quam in juramento Deus exigit, est justitia: *Jurabis in veritate, & in justitia.* Hoc est, non satis est, rem, quæ asseritur veram esse, vel fidem præstari eorum, quæ promissa fuerunt: verum etiam requiritur, ut quod te facturum policeris, justum sit vel saltem nulli legi contrarium; Si enim vetat Deus, ne nomen suum usurpetur ad id jurandum, quod confictum est; multo magis vetat, ne usurpetur ad id, quod est injustum. Tale fuit Herodis crimen, qui magno Joanni Baptistæ caput jussit amputari, ne suo deesset sacramento, quo Herodiadi, quidquid illa petiisset, se concessurum receperat: ubi plane ostendendum est, in hujusmodi occasionibus duplex plerumque peccatum committi, alterum quidem jurando nos facturos, quod injustum est, alterum vero fidem temere datam præstando. Exemplorum, & occasionum, in quibus injustum aliquid vel aliquid nullo pacto adimplendum facturos recipimus, materiam alteri huic parti exornandæ suppeditabit.

Tertia tandem conditio, quæ in juramento ad hoc, ut liceat, exquiritur, judicium est, & prudentia: *In veritate, & in justitia, & in judicio.* Videlicet ut pro rebus magni momenti, non autem futilibus, & nugatoriis fiat; Dei quippe nomen in hujusmodi rebus adhibere, idem est, ac illud polluere. Ubi ostendi potest; 1. contemptus Divinæ Majestatis, cum citra necessitatem juratur. 2. Indignitas consuetudinis, quæ in terris inolevit, omni conatu evellendæ: ubi referri possunt conditiones mortalium, qui huic vitio maxime patent. 3. Scandalum quod præbetur; & quam male audiant, qui ita per habitum jurant. Concioni tandem finis imponendus est, docendo totis viribus cuique laborandum, ut in se pravum hunc habitum evertat; atque hujus rei faciendæ rationem tradendo.

II. Blasphemiam, ac juramentum. 1. esse meræ nequitiæ peccata, ex quibus auctori nullus fructus, nulla cedit utilitas. 2. Esse peccata enormia, peculiarem impietatis caracterem gerentia, quandoquidem recta Deum ipsum, & in ipsa persona lacessunt, ideoque magis explicitum, apertumque divinæ Majestatis contemptum complectuntur. 3. Peccata esse, in quæ Deus severissime animadvertit, & quibus omnium minime parcit.

III. Juramentum, atque blasphemia sunt. 1. criminum omnium impudentissima; sine verecundia, ac metu divinæ Majestatis, quæ passim, & qualibet in occasione in testimonium accersitur, perpetrantur. 2. Hæc sæpe gravissima sunt, ac præ ceteris sceleribus minus venia digna; Deus enim irascitur videns a miseris homunculis majestatem suam temere contemni; atque in Scripturis videmus, ex his severissimas semper pœnas fuisse desumptas. 3. Hæc vulgo in effectibus sunt perniciosissima propter scandalum quod afferunt, & quod late sese effundit, atque communicat.

IV. Fieri quoque potest concionis partitio ex præcedentibus duabus composita, in juramento, vel blasphemia tres ostendendo circumstantias, quæ peccatum quidem gravius, peccatorem vero nocentiorem efficiunt.

1. Adfectata nequitia est; neque enim per infirmitatem, aut ignorantiam, vel ob speratam aliquam utilitatem, sed per insanam vanitatem, apertamque impietatem juratur; & si jutas iratus; cur irasceris Deo? Hoc juramentum, hæc blasphemia malo, vel detrimento, quod inde percepisti, medetur? 2. Gravior, atque apertior supremæ Majestatis contemptus: qualis si Principi coram insultares, quin justam illius verecundiam metueres; vel qualis, si eidem illudere oblectareris, potestatem ejus irridens. 3. Defectus attentionis, vel cogitationis peccati hujus gravitatem non minuit; e contra habitus, qui jam inolevit, illius metum imminuit quidem, auget vero temeritatem, atque indicio est hoc facinus sæpe impune fuisse patratum, ita ut divinæ justitiæ minæ haud ultra negotium facessant.

V. In breviori sermone offendi quoque potest; 1. Blasphemiæ, & juramenti turpitudo ex iis circumstantiis, quæ hæc peccata Deo, & mortalibus permolesta faciunt. 2. Mala visibilia, & invisibilia, quæ ad blasphemos, atque pejerantes irruunt.

VI. Ut major blasphemiarum, atque juramentorum horror excitetur, ad examen vocandæ sunt causæ, ac aperiendi fontes, ex quibus proficiscuntur.

Prima causa est cordis corruptio, quemadmodum ipse ait Jesus Christus: *De corde exeunt cogitationes malæ, falsa testimonia, blasphemiæ*: Et alibi: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quæ enim esse debet hujus cordis corruptio, unde tot egrediuntur blasphemiæ, execrabilia juramenta, abominabiles imprecationes? Minimusne Religionis sensus subsistere potest in corde, ubi tot impia verba efformantur? Et si ex cordis abundantia loquitur lingua, quis dubitare poterit, utrum cor sit impietate repletum? &c. Matth. 15. Malac. 12

Altera juramentorum, verborumque Deum, ac Religionem dedecorantium causa infelix est jurandi consuetudo, quæ in terris percrebuit, & habitus, quem plures contraxerunt; altera quippe fit, ut credatur mos hic esse imitandus, & hæc procacissima loquendi ratio, quam irreligiosi homines, affectant; altera vero, ut per contractum habitum ita assuescamus, ut opportune, importune in singula verba, & fere sine ulla consideratione juremus. Ostendendum est, horum utrumque oppositum esse Christianæ Religioni, ac sensibus pietatis, quos Christianus in corde fovere debet.

Tertia est peccati hujus impunitas propter defectum Magistratuum, qui oscitanter contendunt, ut divinæ, humanæque leges serventur. Verum, si qui pollent auctoritate suo desunt muneri hac in re; Deus, qui semper severissimas poposcit pœnas ex illis, qui blasphemias evomuere, gravissimos justitiæ suæ effectus exeret in eos, qui illas & proferunt, & patiuntur.

VII. De Blasphemia dici potest, quod S. Bernardus inquit de obtrectatione; quandoquidem ex S. Augustini sententia blasphemia est detractio de Deo, sanctisque rebus facta: *Grande vitium detractio, grande peccatum detractio, grande crimen detractio.*

1. Grande vitium est habitus, & consuetudo jurandi, & blasphemandi; grande peccatum est blasphemia, & prophanatio divini nominis, quod per jura-

juramentum sine ulla necessitate peractum perficitur. 2. Grande crimen est propter effectus, & ea, quæ consequuntur.

VIII. 1. Injuria, qua juramentum, atque blasphemia Deum afficiunt, quem variis rationibus lacessunt. 2. Injuria, quam inferunt proximo propter scandalum, quod illi præbent; 3. Injuria, qua ipsi quoque illa proferentes afficiuntur; quia hæc illis Dei iram, & ultionem, bonorum omnium contemptum, ac multitudinem conflant peccatorum, quæ Deus puniet, & quæ sæpe in hac etiam vita severissimis punit suppliciis.

IX. Si de solo juramento sermo infliuendus sit, ostendi potest. 1. Enormitas juramenti, quod sit sine necessitate, vel veritate, atque perjurii, cum non præstatur fides eorum, quę nos laturos recepimus. 2. Inanes prætextus, qui ad juramentum excusandum afferuntur, desumpti ex habitu, consuetudine, levitate, ostendendo, hæc omnia coram Deo nequaquam excusare. 3. Hujus peccati remedia, & rationes abjiciendi pravi habitus ubi semel inoleverit.

X. Impietas, scandalum, & perjurium scelera sunt, quę prę ceteris odit Deus, & quę se perhorrescere idem in Scripturis palam profitetur. Ostendendum est, hęc tria vulgo reperiri in adeo frequentibus juramentis, quę a se flocci fieri tot Christiani testantur.

1. Impietas facile patet in Sanctissimi divini Nominis prophanatione, quod temere, ac sine ulla causa, & necessitate profertur. 2. Scandalum, quod præbetur non minus liquet, & maxime perniciosum est. 3. Moraliter impossibile est ne crebro jurans aliquando pejeret, & ne jurejurando affirmet quod falsum est, qui rebus omnibus nomen immiscere consuevit.

XI. Qui jurant, atque Dei nomen blasphemant, in hac vita reprobis similes sunt, non alium in Inferno sermonem habentibus.

1. Se Dei profitentur inimicos, quem aperte lacessunt. 2. Aliorum hominum inimicos, & vicissim fiunt eorum odii, & horroris objectum. 3. Inimicos suimetipsorum, propter mala, quæ sibi conflant. *Ex Dictionario Morali*.

XII. 1. Blasphemi per impietatem suam id præstant, quod olim rebelles Angeli in Cœlo. Deo bellum inferunt. 2. Per scandalum id agunt, quod primi parentes in terrestri Paradiso, in sceleris sui partem eos pertrahentes, a quibus audiuntur. 3. Per rabiem, furoremque suum id efficiunt quod reprobi in Inferno. *Essais de Sermons Tomo secundo*.

XIII. 1. Qui blasphemare consueverunt, omnibus viribus adniti debent, ut pravum hunc habitum corrigant; furentes, scelesti, qui ex professo dejerant. 2. Qui illos jurare, vel blasphemare audiunt, seipsos zelo armare debent, ut illos corripiant, ne se eorumdem scelerum nocentes præbeant. *Ex morali Dictionario*.

XIV. Pro Concionis argumento, ac partitione desumi quoque possunt hæc Sancti Augustini verba: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa, nulla juratio secura*. 1. Falsum juramentum, vel perjurium perniciosum est. 2. Verum semper est periculosum. 3. Tutius est numquam jurare.

XV. Divus Thomas de præcepto verba faciens, quo per Deum in vanum jurare prohibemur, docet vocem illam *in vanum* triplicem in Scripturis Sanctis habere posse significationem: 1. *Vanum* nonnumquam idem esse ac *falsum*: quod vanum est, falsum est, veluti cum ait Propheta filios hominum allocutus: *Ut quid diligitis vanitatem?* videlicet errorem, & falsitatem. 2. Nonnumquam vox hæc *vanum*, *injustum* significat; vel uti cum idem Propheta de homine proximum fallere cupiente ait: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, hoc est ea dixerunt, quę erant injusta. 3. Nonnumquam quod *vanum* dicimus, leve est, ac nullius pretii, & hoc in sensu vocem hanc Sapiens usurpavit, cum ait hominem subjectum esse vanitati, hoc est, levitati, cum scientia Dei minime regitur. Cum igitur vetat Deus, ne in vanum juremus, non omnino omne prohibet juramentum, sed falsitatem, injustitiam, levitatem juramenti. Argumentum hoc non abludit a primo, sed partitionis hujus membra simul connectit.

Psalm. 4.

Psal. 11.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Basilius, *Hom.* 3. *in Psalm.* 24. explicans hæc Regii Prophetæ verba; *Qui jurat proximo suo, & non decipit*, docet quando, & quomodo fas sit, vel nefas jurare.

Sanctus Chrysostomus in omnibus ferme Homiliis ad Populum Antiochenum, præsertim vero secunda, quinta, sexta, nona, decimaquinta, vigesima sexta, nunc ostendit periculum pejerandi, quod subeunt jurantes; nunc populum hortatur, ut pravum hunc habitum deserat; nunc ostendit quam inexcusabilis sit, qui jurat in vanum &c.

Idem *Homil. ad baptizandos*, docet, quam caute in ipsa necessitate jurandum sit, & quomodo habitus jurandi possit aboleri.

Idem in Acta Apostolorum Homil. 8. 9. & 10. docet quomodo, & unde jurandi usus fuerit invectus.

Idem *in c.* 5. *S. Matthæi Exhortatione* 3. ostendit eos, qui jurare consueverunt, posse paulatim desuescere, ac minitatur Auditoribus se illis Ecclesiæ aditum interclusurum, nisi resipuerint.

Idem Ananię, & Saphirę mortem enarrans docet, si Deus tanta severitate in illos ob simplex mendacium animadvertit, multo graviora pejerantibus reservari supplicia. Hoc inveniet Homil. 12. in Acta.

Idem, *Hom.* 4. *ex* 16. *variis*, docet quam metuendum sit juramentum.

Sanctus Hieronymus lib. 5. in 17. Caput Ezechielis ostendit fidem præstandam eorum, quę vel ipsis inimicis promissa fuere.

Idem in caput 19. Job plurima dicit de juramento.

Origenes Homil. 2. in Psalm. 18. de eodem verba facit.

Sanctus Gregorius lib. 5. in libros Regum docet, quid faciendum, cum aliquid juramento fuerit promissum.

Sanctus Ephrem tom. 2. Operum suorum plurima habet de juramento, ac blasphemia, & inter cætera ostendit, quam Deo injuriam hæc afferant.

Sanctus Augustinus *lib. de mendacio ad Consentium*, explicat quomodo intelligenda sint hæc Domini verba: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*. Matth. 5.

Idem lib. 6. Quæstionum in Josue docet quanta religione servandum sit, quod interposita Sacramenti fide promissum est; quemadmodum Josue cum Gabaonitis egit.

Idem *lib.* 1. *de Sermone Domini in monte*, hæc explicans verba: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis* &c. docet veram non pejerandi rationem esse non jurare. Ibidem.

Idem *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 15. *& lib.* 3. *cap.* 20. Ethnicorum adfert exempla, qui fidei fuę, ac juramenti religiosissimi fuerunt observatores.

Idem hæc Sancti Jacobi explicans verba: *Ante omnia nolite jurare*, docet quam periculosum sit jurare, & quousque jurandi consuetudo processerit. Jacob. 5.

Idem, Sermone 2. de Sancti Joannis Baptistæ Decollatione docet quid faciendum sit, ubi aliquid injustum promissum fuerit, & quid sentiendum de eo, qui juramentum ab alio extorquet, quem prevvidet pejeraturum.

Tridentini Concilii Catechismus in alterum mandatum perspicue tradit quidquid hac in re scire oportet. Ita supplere potest fusiori enarrationi, & particularibus casibus, quos Casuistæ in hoc argumento proponunt. Ascetici.

Auctor Ethicæ Christianæ de hac re tribus in articulis loquitur, *lib.* 3. *sect.* 4. *art.* 2.

Liber, cui titulus: *Bellum vitiis*, prælio decimoquinto contra juramentum.

Drexellius in Tractatu, cui titulus: *Phaeton Orbis*, seu *de universis vitiis linguæ cap.* 6. *de Blasphemia*, & *cap.* 28. *de lingua juramentis assueta*.

Molinier Sermone pro feria quinta post tertiam Quadragesimæ hebdomadam de blasphemia, & pravo loquitur juramento. Concionatores.

Dictionarium morale duos habet deinceps de Blasphemia Sermones cum pluribus moralibus hujus argumenti animadversionibus.

Auctor idem in Sermonibus Moralibus unum habet de blasphemia.

Auctor libri, cui titulus *Essais des Sermons sur la Dominicale*, Tomo 2. Sermonem habet contra blasphemos pro duodevigesima post Pentecosten Dominica.

Abbas de Breteville Tomo tertio libri, qui inscribitur *Essais* Sermonem habet de blasphemia, feria 4. hebdomadæ Passionis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 2. Argumentorum particularium, sermonem habet de blasphemia, & juramento, quæ simul conjungit.

P. le Jeune Presbyter Oratorii peculiarem habet hujus argumenti sermonem.

Lu-

Qui collectanea ediderunt.

Ludovicus Granatensis in locis communibus, *Tit. Blasphemia*.
Nicolaus Hanapus. *Tit. Blasphemia*.
Lohner, *Tit. Blasphemia, & Juramentum*.
Peraldus. *De Peccatis linguæ*.
Raynerius de Pisis. *Tit. Juramentum*.
Labatha. *Tit. Juramentum*.
Berchorius.
Summa Prædicantium, & alii.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20.

Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Ibidem.

Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Levit. 24.

Educ blasphemum extra castra, & ponam omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Ibid.

Non perjurabis in nomine meo, nec polluet nomen Dei tui. Ibid. c. 19.

Qui audierit vocem jurantis, &c. nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. Ibid. c. 5.

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit. Deut. 5.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. Ibid. c. 6.

Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. Jobi 15.

Addit super peccata sua blasphemiam. Idem, c. 24.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. c. 2.

Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israel. 4. Reg. c. 19.

Quorum os maledictione plenum est. Psal, 13.

Posuerunt in Cœlum os suum, & liquido eorum transivit in terra: & iniquitatem in excelso locuti sunt. Psalm. 72.

Nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Ps. 74.

Qui jurat proximo suo, & non decipit, habitabit in tabernaculo tuo. Psalm. 14.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? ... Qui non juravit in dolo proximo suo. Psalm. 23.

Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Eccli. 23.

Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo. Ibid.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. Ibid.

Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: repletur enim retributione domus illius. Ibid.

Jugiter tota die nomen meum blasphematur. Isaiæ 52.

Jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia. Jerem. 4.

Loquela multum jurans horripilationem capiti faciet. Eccli. 27.

Maledictio veniet super domum jurantis mendaciter. Zachar. 5.

Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Matth. 5.

Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Matth. 12.

Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. Marc. 3.

Homines per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. Ad Hebr. 6.

Ante omnia, fratres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut sub judicio decidatis. Jacobi 5.

Exempla e Veteri, Novoque Testamento desumpta.

In veteri lege blasphemi a populo separabantur. IN Levitico præceperat Deus, ut blasphemi castris ejicerentur, & separarentur a populo, quod hodie cum excommunicatis fieri consuevit; atque juxta hoc exemplum in antiquis Canonibus Blasphemus in ipso Templi limine subsistere cogebatur, donec divina celebrarentur Mysteria, & post se-

ptem dies Dominicos Templo sese præsentare debeat nudatis pedibus, fune ad collum alligato ad populi totius conspectum; qui si hanc subire detrectaret Canonicam pœnam, ex Ecclesia ejiciebatur, ac post mortem in sterquilinium projiciebatur ... Neque vobis stupor incesserit, inquit Glossa ordinaria; infelices isti jam Dei metum, & charitatem per peccatum amiserunt, ideoque a Fidelium communione sunt divellendi: negarunt Deum, igitur tradendi sunt dæmoni, quemadmodum se tradidisse Himenæum, & Alexandrum S. Paulus testatur. *Tradidi eos Sathanæ, ut discant non blasphemare*.

Sennacherib ob blasphemiam percussus.

Celeberrimum divinæ justitiæ in blasphemos exemplum est pœna Sennacherib Regis Assyriorum, quæ quarto Regum libro c. 19. refertur. Postquam Rex ille in ditionem suam pleraque Judææ oppida redegisset, Jerosolymam obsidione vallavit, & Rabsaci copiarum suarum Imperatori mandavit, ut quocumque pretio urbe illa Judææ principe potiretur: qui oblatas ab Ezechia Rege pacis propositiones rejiciens, atque in ludibrium vertens confidentiam, quam cives obsessi testabantur se habere in veri Dei præsidio, urbisque natura, quæ circumundique montibus erat vallata, (quæ res hostibus difficillimum præbebat accessum) non sine irrisione gravissimis blasphemiis refertissima respondit, Hebræorum Deum montium quidem esse Deum, vallium vero non item. Blasphemia hæc illi steriit centum & octuagintaquinque mille militum clade, quos nocte una Angelus Dei occisione delevit; quæ res coegit Sennacherib, ejusque Imperatorem, ut sese in fugam converterent. At Divinæ ultioni satis non fuit tanti exercitus miserabile excidium: ipse quoque Sennacherib morti longe magis funestæ reservatus fuit; etenim in regnum suum reversus, atque in Templum Dei sui confugiens ejus opem imploraturus a propriis filiis jugulatus occubuit.

Alia de blasphemis sumpta supplicia.

Inutile esset fusius omnes persequi pœnas divinitus sumptas, quibus Scriptura repleta est, ut inde liqueat, Deum non pati, ut blasphemi abeant imounes. Satis est videre Pharaonem cum exercitu universo rubro mari submersum; Acham lapidibus obrutum; Core, Dathan, & Abiron viventes adhuc terra sub pedibus eorum dehiscente sepultos; Nicanorem in acie cæsum, caputque ejus, & brachia Jerosolymam in triumphum adducta ad Dei Israel, quem blasphemiis suis coinquinaverat, honorem reparandum; Holophernem, & Antiochum; quorum exitus, & cædes satis compertæ sunt. In unum Nabuchodonosor mitius actum est; quia cum sumptibus suis didicisset nequaquam impune Deum lædi, in universa ditione sua edictum pronuntiari jussit, quo minitabatur futurum ut quicumque ausus fuisset in Deum blasphemias exomere, statim morte afficeretur, domusque illius diruta solo æquaretur; *Lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum, dispereat, & domus ejus vastetur*. Daniel. 3.

Perjurii punitio.

Sedeciæ exemplum palam ostendit Deum nihilo mitius in pejerantes animadvertere, ac ostendit necessitatem præstandi fidem earum rerum, quæ vel ipsis inimicis, interposita jusjurandi fide, promissa fuerunt. Princeps hic non solum acie victus fuit, verum etiam Babylonem avectus, & ferreis vinculis constrictus; immo illi etiam oculi effossi fuere imperantes Nabuchodonosor, quia promissis non steterat, & jusjurandum violaverat; quamobrem S. Hieronymus in 17. Ezechielis caput inquit, Nabuchodonosor ea in occasione fuisse ultionis divinæ instrumentum ad puniendum Sedeciæ perjurium. E contra videmus Josue noluisse delere Gabaonitas, licet populi Dei hostes, quia se illis nihil obfuturum juraverat: *Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel*. Josue 9.

Adimplendum non est, quod injuste promissum est.

Quædam suppetunt etiam exempla, quibus docemur, ea, quæ juravimus, adimplenda non esse, ubi injusta sint, & Divinæ legi adversentur. Præceperat Saul ne quis biberet, vel comederet, antequam sumpsisset pœnas de hostibus suis, a quibus injuria fuerat affectus, pollicitus jurejurando se morti adjudicaturum, quicumque dicto non paruisset. Jonathas filius ejus, quin ad id adverteret animum, gustavit ex favo mellis, virga, quam manu tenebat, dum hostem persequeretur; & Saul, qui parum religiose aliis in occasionibus fidem præstitit, in hac censuit, ne perjurus esset, filium suum esse occidendum; quod etiam facto probasset, nisi populus universus clamoribus obstitisset dicens justum non esse, ut ille periret, qui tot alios servarat. Rex iste parricidium patrasset, ne violaret juramentum, quod temere protulerat, & cui propterea non tenebatur. Neque minus te-

merarius fuit Jephte folemni jurejurando promittens Deo, quidquid vivens fibi de prælio reduci victorique occurreret, fe victimam oblaturum; verum gravior illius fuit noxa, cum promiffionem, injuftumque juramentum expleturus propriam filiam, quæ gratulatura victoriam, prima occurrerat patri, offerens in facrificium. David fe geffit prudentius; cum enim juraffet iratus fe domum Nabal igni, ferroque vaftaturum, quin cuiquam parceret, injuftam ulturus repulfam, quam ab eodem acceperat; poftmodum aliud infiit confilium, ubi agnovit injuftitiam, quam patraffet, fi ejus juramenti fidem præftitiffet, quod adimplere non tenebatur.

Quantopere Judæi perhorrefcerent juramentum.

Judæi, licet Dei cultus, atque honor adeo parum illis negotium facefferet, blafphemiam tamen ita perhorrefcebant, ut fuas veftes difcerperent in execrationis, ac deteftationis indicium, fi quæ umquam auribus eorum accideret. Quamobrem Caiphas cum in Dei viventis nomine Salvatorem fuiffet obteftatus, ut palam fateretur, utrum Dei filius effet, ac Meffias, quem natio univerfa tandiu votis omnibus concupierat; cumque Salvator propter Divini Nominis reverentiam refpondere coactus, hunc fe effe affirmaffet: iniquus Judex indignationem, falfumque zelum fuum melius aperire non potuit, quam fcindens veftimenta fua, & veluti furiofus exclamans: *Blafphemavit*. Hic blafphemus eft, vos teftes eftis; non aliis igitur opus eft argumentis, ut judicetur; morte plectendus eft.

Matth. 26.

Salvator fæpe blafphemiæ nomine accufatus fuit, & fæpe in illum blafphemiæ prolatæ jiuerunt, Matth. 26. & Marc. 5.

Ex Evangelio quoque didicimus Judæos non folum accufaffe Dei Filium hujus criminis, licet ipfa fanctitas effet, fed eos ipfos fæpe in illum blafphemias evomuiffe dicentes modo illum dæmoniacum effe; modo dæmones ejicere in nomine Beelzebub, qui eorum princeps erat, & caput; modo illum maledictis petentes, veluti cum de cruce pendebat: *Vah qui deftruis Templum Dei, & in triduo reædificas illud*, cur temetipfum falvum non facis? Locus vero maxime infignis eft correctio, & exprobratio, qua bonus Latro corripuit focium fuum, qui contra Dei Filium blafphemabat, dicens illi cœli vindictam metuendam effe, cum eodem damnatus effet fupplicio. Hoc vero nobis accidit jufte, quia meritas luimus pœnas, fed ille, cui infultas, nihil mali operatus eft. Itaque ex duobus latronibus fupplicii, quo Dei Filius afficiebatur, fociis, alter quidem reprobatus fuit; alter vero meruit, ut primus omnium particeps fieret fructus Sanguinis, & mortis Domini.

Quo in fenfu Dei Filius in Evangelio præcipiat, ne omnino juretur. Matth. 5.

Quod pertinet ad jusjurandum, attulimus jam Salvatoris hac in re doctrinam, qua Præceptum Moyfis extenditur; fi enim præcipit Moyfes, ne in vanum juretur, Salvator faluberrimum hoc tradit confilium, ne omnino juretur: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino:* non quod in maximi momenti occafionibus, quemadmodum antea dictum eft, jurare prohibeat; fed, quemadmodum Sanctus Chryfoftomus ait, ut appareat lege fua Chriftianos ad altiorem perfectionis gradum attolli, quam veteri attollerentur Judæi; & ut idem Pater addit, quia perjurii evitandi ratio optima eft, numquam omnino jurare.

Juramentum Herodis, & effectus illius.

In Herodis perfona habemus exemplum juramenti temere facti, & per fummam injuftitiam favifimamque crudelitatem expleti. Rex ille in convivio, ubi plane inter pocula ratio naufragium fecerat, interpofita juramenti fide promiferat fe filiæ Herodiadis conceffurum quidquid illa petiiffet, ipfum etiam Regni fui dimidium, eo quod venufte faltaverat, atque convivas omnes choreis, & faltationibus oblectatione refecerat. Saltatricis petitio mœrorem attulit regi, qui fe nimium fpopondiffe intellexit; fed quia fe religiofum præbere voluit in fide præftanda, barbarum, & impium fe probavit præcipiens ut afferretur in difco caput omnium hominum fanctiffimi viri, Joannis Bapuftæ, quem ipfe quoque habebat in pretio.

Juramentum Judæorum de S. Pauli cæde.

In Actis Apoftolorum legimus juramentum, quo Synagogæ Principes fefe adegerunt, ut neque biberent, neque manducarent, nifi Paulum de medio fuftulffent; quod effeciffent procul dubio nifi Deus Apoftoli fui curam fufcepiffet, eumque liberaffet ex manibus illorum, qui falfo legis fuæ zelo erant correpti.

Blafphemia Antichrifti caracter.

In Apocalypfi explicite memoratur inter cæteros Antichrifti caracteres non poftremus futurus, inceffanter blafphemias evomere. *Datum eft et os loquens magna, & blafphemias ...; Et aperuit os fuum in blafphemias ad Deum, blafphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant.* Apoc. c. 13.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Si peccaverit vir in virum, placari ei poteft Deus: fi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. *Reg. cap.* 2. Sacer textus innuit, longe difficilius effe obtinere veniam criminum immediate contra Deum patratorum, quam eorum, quæ in homines committuntur. Hujus autem numeri proculdubio funt blafphemiæ, quæ totidem veluti funt jacula in Deum ipfum contorta, ac tela, quæ barbari quidam populi in Cœlum ejaculantur, cum tonitru ftrepere audiunt, hoc pacto fagittas fuas Cœlorum fulminibus, armaque fua eorum armis opponentes. *Quem blafphemafti? contra quem exaltafti vocem tuam?* quærit Propheta. Hic ille eft, o impie, quem laceffis, hic ille, in quem infurgis; hic, cui irafceris; & non vis hæc tela, quæ in Deum jacularis, has blafphemias, hæc maledicta in tuum caput relabi? 4. Reg. 15.

Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeftum te facit. Matth. 26. Vulgo, & facile agnofcitur cujus aliquis fit ex lingua, vocifque fono, & accentu; quo pofito, Sanctus Chryfoftomus animadvertit, judicari poffe, quin procul a veritate abertent, eos qui inceffanter jurare, & blafphemare confueverunt, vel qui hanc inferorum, dæmonumque linguam loquuntur, effe ex numero, & patria eorum, quorum fermone utuntur; & paucas effe notas certiores, ex quibus colligi poffit animam a Deo derelictam, & iniquitati mancipatam fuiffe, quam hæc juramenta, & blafphemias, quæ in habitum abiere, qui fere numquam exuitur.

Sepulchrum patens eft guttur eorum, Pfalm. 5. Theodoretus ait, hæc dici blafphemis, & iis, qui jurare confueverunt; quia quemadmodum ex aperto fepulcro nihil emanare poteft præter tabum, & faniem; ita cordis corruptio ex blafphemantium ore emanat; feu quia hæc verba fignificant animam gratiæ mortuam, ufquequaque corruptam, & jamjam in Inferno fepeliendam, ubi eamdem, qua in terris utebatur, loqui linguam perfeverabit.

Lingua tua concinnabat dolos. Interpretes quidam verba hæc juramentis, atque blafphemiis applicant. Horrorem cient, cum craffiores funt, ac in ore eorum, qui mero madent; at non defunt, qui licet cultiores fint, non ideo funt minus nocentes. Ex illis fermonis fui ornamentum concinnant; eas cum vetuftate, & lepore quodam pronuntiant; quafdam excogitant illas effutiendi rationes, quafi impietatem ipfam condire vellent, eamque iis etiam guftandam præbere, qui eam maxime omnium perhorrefcunt. Inde profecta funt tot juramentorum genera, imprecationum, & blafphemiarum minus odiofis vocabulis abditarum. Ne expectetis (Auditores) illas a me iftic referri; nemo rudis eft, nemo hofpes in hoc fermone, qui apud eos etiam ufum obtinuit, qui honeftiffimi habentur. At bonorum lacrymas id prometeretur, quod videficet vident nomen Dei hoc pacto pollutum, atque nullo iracundiæ impetu in colloquiis, hilaribufque focietatibus prophanatum, quafi nulla inveniri poffet citra fcelus, & impietatem obleftatio.

Sanctificetur Nomen tuum. Matth. 6. Hæc prima petitio eft, qua Deum oramus, ut videlicet nomen ipfius fanctificetur. Non fine fapientiffimo confilio Salvator petitionem hanc cæteris antepofuit, etenim, quemadmodum Doctores quidam animadvertunt, Dei Filius videns homines ad jurandum, atque Dei nomen blafphemiis fuis dedecorandum pronos, ut abominabilem hanc confuetudinem altera prorfus oppofita truderet, voluit primum orationis articulum, a Fidelibus quotidie recitandæ, hunc effe, quod adorabile Dei nomen benedictionibus, laudibufque celebraretur. At Chriftiani, qui jurare, & fanctum hoc nomen blafphemare confueverunt, illudne fanctificant, & hoc munere rite perfunguntur?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Nihil horribilius blafphemia, quæ ponit in excelfum os fuum; omne quippe peccatum levius eft. Hieron. cap. 18. Ifaiæ.

Mori poffum, tacere non poffum. Idem, lib. 3. adverfus Rufinum.

Blafphemia veniam non meretur. Idem, in Apolog.

Mentiri & jurare lingua tua prorfus ignoreri, tantufque fit in te veri amor, ut quidquid dixeris juratum putes. Idem, ad Cælantiam, de inftitutione mattris-familias.

Sicut ad proprias injurias patientes effe debemus; ita fi aliquem videritmus erga Deum ore facrilego blafphemantem, illic tenere non debemus patientiam; fed facrilego refiftere, & os blafphemum veritatis refponfione damnare. Idem.

Qui contemnit juramentum, illum defpicit per quem juravit, illique facit injuriam, cujus nomine credidit adverfarius. Idem, in Ezechiel. lib. 1. cap. 17.

Noli jurare, ne incipias pejerare. Ambr. in exhort. de Virg.

Blafphemia pejus nihil. Chryf. Homil. 1. ad Popul. Antioch.

Nemo eft qui frequenter juret, qui aliquando non perjuret; ficut qui confuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna. Idem, in Matthæi cap. 5.

Non eft hoc peccato (nempe blafphemia) *deterius, fed neque par, nam in eo & acceffio omnium malorum eft, omnifque confufio, inexpiabile fupplicium, & intolerabilis pœna.* Idem, Orat. 2. de fato & Provid.

Bene prohibetur homo jurare, ne confuetudine jurandi, quia homo falli poteft, etiam in perjurium prolabatur. Auguft. in Pfalm. 88.

Manifeftum eft homines jurare, aut cupiditate, aut delectatione peccandi. Idem, in Epiftola ad Galatas.

Linguam veam non faciet nifi mens rea. Idem, Serm. 28. de verb. Apoft.

Afiduitas jurandi, perjurii confuetudinem facit. Ifidorus lib. 2. Sent.

Impii funt qui jurare delectantur. Idem, ibid.

Veritas juramento non indiget. Idem, ibid.

Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui confcientiæ teftis eft, ita hoc accipit, ficut ille, cui juratur, intelligit. Idem, de fummo bono.

Quod ad jurationem provocavit, duas animas interficit, jurantis & provocantis. Auguft. Serm. 4. in Decalog.

Juravit David temere, fed non implevit jurationem majore pietate. Idem, Serm. de Decollat. S. Joann. Bapt.

Dico vobis non jurare omnino (ait Chriftus;) *ne fcilicet jurando, ad facilitatem jurandi veniatur, de facilitate ad confuetudinem, de confuetudine ad perjurium decidatur.* Idem, libro contra mendacium.

Non minus peccant qui blafphemant Chriftum regnantem in Cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris. Idem, fuper Matth.

Flagellatus eft Chriftus flagellis Judæorum; fed non minus flagellatur blafphemiis falforum Chriftianorum. Idem, fuper Joann.

Vis longe effe a perjurio? jurare noli. Falfa juratio exitiofa eft, vera juratio periculofa, nulla juratio fecura. Idem, Serm. 28. de verb. Beati Jacobi.

Pejus eft blafphemare, quam pejerare, quoniam pejerando, falfæ rei adhibetur teftis Deus, blafphemando autem, de ipfo falfa dicuntur Deo. Idem, lib. contra mendacium, cap. 19.

Ideo dictum eft ne juremus, non quia verum jurare peccatum eft; fed quia pejerare peccatum immane eft, a quo nos longe effe voluit; qui omnino ne juremus admonuit. Idem, Epift. 154. ad Publicolam.

Jurare per execrationem eft gravifimum jurisjurandi genus, cum homo dicit, fi illud feci, illud patiar. Idem, in Pfalm. 7.

Homo, qui per confuetudinem jurandi, poteft lingua in perjurium prolabi, bene prohibetur jurare; tanto enim longius erit a perjurio, quanto erit longe a jurando. Idem, Sermone de Decoll. Sancti Joann. Bapt.

Horrendum penitus facrilegium (blafphemia) *quod & ipforum videtur excedere facinus, qui Domino majeftatis manus facrilegas injecerunt.* Bernard. Serm. 2. de Converf. S. Pauli.

Jurare opus non eft iis, quibus omnis fermo in vero eft. Hilarius, in Matth.

Prima femper irarum tela, maledicta funt. Quidquid non poffumus imbecilles, optamus irati, & in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur. Salvian. lib. 3. de Gubernat.

O inauditum facinus! auctorem fui fceleris Deum facere volunt. Idem, lib. 4.

In comparatione omnium illi folus Deus vilis eft. Idem, lib. 5.

Ex frequenti jurejurando perjurium nafcitur. Philo Judæus.

Gregorius Nazianzenus, ut longius a juramento abeffet, etiam voto fe adftrinxit fe non juraturum; quod laudabili conftantia ad mortem ufque fervavit. In ejus vita.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi valeat.

Blafphemiæ definitio, natura, & fpecies. q. 13. art. 1.

Blafphemia eft ratio loquendi de Deo contumeliofa, qua ille laceffitur. Hanc nobis notionem fuppeditat Theologia: *Blafphemia eft injuriofa in Deum locutio.* Sanctus Thomas ait illam oppofitam effe confeffioni fidei; blafphemus enim Deo tribuit ea, quæ illum minime decent, ea vero, quæ illum decent, illi denegat. E contra fidei confeffio Deo id tribuit folum, quod ejufdem proprium eft, eique negat, quod eidem convenire non poteft. Contra Sanctos etiam blafphematur; & quemadmodum injuria, qua afficiuntur recidit in Deum, qui in illis coli vult, hæc etiam blafphemia indirecte fidei adverfatur. Blafphemiam vero tribus modis, qui illius varias fpecies non ideo efficiunt, committi Sanctus Bonaventura teftatur; videlicet fi Deo tribuatur, quod illi convenire non poteft; puta, ignorantia, nequitia, crudelitas, affectus aliquis, aut vitium; Si illi denegetur, quod ejufdem proprium eft, veluti fumma bonitas, fumma potentia, providentia, & fapientia infinita; denique fi creaturæ cuipiam eæ tribuantur perfectiones, quæ Deo uni conveniunt.

Peccatum hoc dividitur in blafphemiam cordis, vel cogitationis; in Blafphemiam oris, cum verba Deo contumeliofa proferuntur, & in blafphemiam actionis, uti faciunt infideles, & hæretici, immo etiam mali Chriftiani, qui flagitiofo vivendi genere, & fceleribus, quæ patrant, infidelibus, & Hæreticis fuafionem tribuunt blafphemandi, videlicet cogitandi, vel dicendi, Lege quam fequimur, & Religione quam profitemur, nos hoc vivendi genus doceri. Quamobrem Sanctus Auguftinus ait paucos inveniri hodierna die, qui ore Dei nomen blafphemant, innumeros autem effe, qui illud vita, & factis blafphemant. Tract. 27. in c. 6. Joann.

Gravitas peccati blafphemiæ.

Peccati hujus gravitas, atque enormitas defumenda eft ex illius natura, quæ eft Deum laceffere, eumque ditecte, & immediate in ipfius perfona afficere contumelia. Itaque hæc actio ex fe mala eft, & numquam fas effe poteft qualibet in circumftantia; atque ut Theologi dicunt, non ideo mala eft, quia prohibetur; fed ideo prohibetur, quia mala, quippe & rationi, & legi naturali adverfatur; quod de juramento, & hominis cæde dici non poteft, quæ aliquibus in occafionibus permittuntur. Immo docet Sanctus Thomas blafphemiam in genere fuo confideratam effe peccatorum omnium maximum; feu quia quodvis aliud peccatum, fi cum hoc conferatur, femper levius eft; feu quia cum infidelitas, in quam blafphemator per fe fit graviffimum fcelus, accedit odium Dei, exterifque verbum, ad præftantiam, majeftatem, potentiam, vel aliam quamlibet Dei perfectionem evertendam. Unde inferendum eft blafphemantis intentionem deteriorem effe interficientis; quamvis fi fpectetur damnum ex facto proveniens, illud, quod cædem fequitur gravius fit, quam quod ex blafphemia proficifcitur. Unde etiam fequitur, blafphemum gravius peccare, quam pejerantem, qui licet Deum mendacii teftem appellat, non credit tamen Deum effe poffe mendacii auctorem, atque fautorem: ita ut fi nulla eft peccati levitas in perjurio ratione parvitatis materiæ; multo magis in blafphemia fit nulla. l. 13. art. 4.

Quid neceffe fit ut vera committatur blafphemia.

Cum hoc peccatum fit peccatorum omnium enormiffimum, opus eft ad hoc, ut aliquis vere in hoc peccet, eum, qui blafphemiam profert, voluntatem habere determinatam certam injuriam afferendi Deo, vel faltem fcire, illum affici injuria per ea, quæ a fe proferuntur. Qui enim iratus verba quædam effutit eorum fignificationem nequaquam diftincte cognofcens; vel ad eorum fignificationem non advertit animum, licet Dei honorem offendant, proprie blafphemiam non committit, vel blafphemia hæc nonnifi veniale peccatum effe poteft. At hoc dici nequit de quibufdam verbis palam fignificantibus, licet e trivio fint, & quorum fenfus ftatim animo occurrit; ea quippe criminis excufari non poffunt, licet cæca paffione rapiatur illa pronuntians.

Abuti Scripturæ verbis in prophanis eft fpecies blafphemiæ.

Blafphemię quoque fpecies committitur; cum Sacræ Scripturæ verba quę fumma cum reverentia excipienda funt, in prophanos ufus traducuntur; atque in ridiculis narratiunculis, dicteriis, aliifque id genus adhibentur; quod crimen eft Tridentinæ Synodi præcepto feveris fuppliciis coercendum, uti fub finem Seffionis decimæquartæ legere eft.

Quod fpectat ad blafphemiam contra Spiritum San-

Sanctum, quam Patres, atque Theologi aliter explicant, nostri non est argumenti. Sin autem hoc nomine intelligantur contumeliosa verba contra Spiritum Sanctum prolata, hæc sub aliis blasphemiæ speciebus continentur. Sin de meræ nequitiæ peccatis intelligantur, quæ sunt contra Dei bonitatem, quæ præsertim Spiritui Sancto tribuitur; vel de salutis desperatione, ac finali impœnitentia quod unicum Sanctus Augustinus agnoscere videtur peccatum contra Spiritum Sanctum; de his præsentis instituti non est verba facere.

De juramento, quid sit, & suæ ejus definitio.

Quandoquidem jusjurandum cum blasphemia conjunximus propter rationes, quas supra retulimus hæc ea sunt, quæ ex Theologiæ fontibus hoc in argumento haurienda videntur. Jurare, Sanctus Thomas inquit, est Deum testem vocare eorum, quæ dicuntur & affirmantur, secundum S. Augustini doctrinam, quippe juramentum institutum est ad eam rem confirmandam, quæ cum per se probari, confirmarique non possit, indiget probatione, quæ a productis testibus pendet. Cum autem frequens accidat, ut hominum testimonium satis non sit ad veritatis alicujus faciendam fidem, de qua posset dubitari; hominibus enim aliquid affirmantibus non raro finceritas deest; ita necessarium aliquando est ad infallibile testimonium confugere, quod Dei unius est. Hoc autem fit per jusjurandum, quod divinam veritatem testem appellat rei, quæ asseritur, ut hominum fidem, atque religionem certam faciat, atque confirmet. *q. 88. art. 1.*

Duæ sunt generatim juramenti species.

Juramentum assertorium vocatur, cum Deus testis accersitur ad confirmandam hoc juramento rem quæ vel præsens est, vel futura. Si pro affirmanda re futura, quam vel stato tempore, vel cum sese obtulerit occasio nos facturos recipimus, utimur juramento, tunc dicitur promissorium, quatenus quod alicui promittimus, est de re futura, quæ bona esse debet, atque honesta, ut illa adimplere teneamur. Dictat a voto, quod promittio est uni Deo facta.

Duo juramenti modi.

Duo quoque sunt jurandi modi; alter per simplicem attestationem, vel Divini nominis invocationem, veluti cum per sanctum nomen Dei juratur: alter per execrationem, cum caput nostrum vel personam diris, vel pœnis aliquot a Deo infligendis subjicimus, nisi veritatem dixerimus; exempli gratia, me perdat Deus, si mentior. Priori in casu Deus tamquam testis dumtaxat vocatur; in posteriori vero tamquam testis simul, & Judex.

Juramentum per se licitum est, & honestum.

Ex Scripturarum, Patrumque testimonio, nec non Patriarcharum; Apostolorum insigniorumque utriusque testamenti virorum exemplo; ac tandem ex Ecclesiæ, omniumque Doctorum consensu liquet, juramentum, si requisitas habeat conditiones, permissum esse, honestum, immo etiam actum Religionis: atque Anabaptistarum errorem fuisse, non licere unquam, quæcumque sese causa obtulisset, jurare, quippe perperam hæc Jesu Christi verba interpretabantur: *Matth. 5.* *Dico autem vobis, non jurare omnino.* Quamquam lex illud solum juramentum prohibeat quod sit in vanum quod falsum est, & quod sine ulla sit necessitate. Et certe constat noluisse Dei Filium his verbis generatim omnium juramentorum genera condemnare; quandoquidem ipse quoque, & Apostoli sæpius jurarunt: sed voluisse tantum fallacem Judæorum sententiam improbare opinantium, in juramento satis esse evitare mendacium, atque perjurium; ac sibi religioni nequaquam vertentium juraré, & sæpissime alios ad jurandum compellere propter res levissimas, & quæ nullius momenti habebantur.

Quemodo honoretur Deus per jusjurandum in iis, quæ magni momenti sunt.

Quamvis honoretur Deus, cum testis vocatur ad rem veram, magnique momenti probandam, hæc tamen ratio Dei nomen honorandi longe differt ab ea, qua fidenter opem illius imploramus; altera enim hæc ita bona, & utilis est, ut nihil utilius hominibus esse possit, quam in illa sese dies, noctesque exercere; cum e contra licet jusjurandum ex se bonum sit, frequens nihilominus usus neque bonus est, neque laudabilis. Discriminis hujus ratio est, quod juramentum constitutum dumtaxat est tamquam contra humanam infirmitatem remedium ad ea, quæ dicimus confirmanda; quemadmodum ergo corpori utile non est remediis uti citra necessitatem, immo remediorum usus corpori perniciosus est; ita jurandum non est, nisi justa, & necessaria adsit causa, quæ nisi adsit, irreverentia est erga Deum, quemadmodum Sancti Augustinus, Chrysostomus, ac Tomas docent.

Conditiones, quæ in juramento quæruntur ut liceat.

Justitia, judicium, & veritas liciti juramenti sunt conditiones secundum Jeremiam Propheram, ex S. Hieronymi sententia; quia tria hæc requiruntur ad juramenti validitatem, & ut bonus sit usus ejusdem: etenim sine justitia esset illicitum; sine judicio temerarium; sine veritate perjurium. Hæc explicitis verbis docet D. Thomas q. 89. art. 3. 2. 2.

Quomodocumque Deum testis vocare, jurare est.

Animadvertendum est, jurare non aliud esse quam Deum testem accersere, quomodocumque id fiat. Idem enim est dicere, *testis mihi sit Deus*, ac per Dei nomen jurare. Verum etiam jusjurandum est ad fidem faciendam sancta attestari Evangelia, Crucem, Sanctorum Reliquias, & similia. Hæc enim omnia per se nullam vim, auctoritatemve conferunt affirmatæ rei; sed Deus, cujus suprema Majestas in omnibus hisce rebus effulget. Et sane qui per Eangelium jurant, idem præstant ac si per ipsius Dei nomen jurarent, quia hujus veritas ibi continetur. Idem dicendum est, qui per sanctos jurant, qui Dei Templa sunt, qui crediderunt Evangelio; & qui Deum semper colunt. *Hæc est Catechismi Concilii Tridentini doctrina.*

Quomodo juramentum vim habeat, virtutemque obligandi.

En quid Sanctus Thomas art. 7. q. 89. dicat de obligatione, quam juramenta nobis imponunt. 1. Juramentum, quod assertorium diximus, veritatem nos dicere cogit, alioquin perjuros, & calumniatores habendos. 2. Juramentum, quo aliquid nos daturos, facturosve recipimus, promissi fidem servare nos cogit, si res in potestate nostra sit posita. Tunc enim tenemur veram efficere promissionem nostram, 3. Juramentum, quo id promisimus, quod per nos adimpleri non potest, sed per alium, qui non pendet a nobis, obligandi vim habere non potest; sed juramentum hoc imprudens est, ideoque illicitum. 4. Juramentum, quo id nos facturos pollicemur, quod fieri quidem a nobis potest eo, quo juramus tempore, sed quod deinceps eventu, vel occasione aliqua fit impossibile, ad id tantum nos compellit, ut pro virili promissi fidem exolvere contendamus. 5. Juramentum quo id promittimus quod ex se malum est, vel id quod ei rei obicem statuit, quæ bona est, nulla ratione nos obligat. Alioquin duplex peccatum committeremus, alterum quidem jurantes nos facturos quod malum est, alterum hoc malum facientes. Sin autem qod jurejurando promittitur, majori cuipiam bono statuat obicem, veluti jurare de non ingrediendo in Religionem, peccatur jurando, non peccatur vero majus bonum faciendo exempli gratia in Religionem ingrediendo. Hæc omnia ex D. Thoma desumpta sunt.

In quo juramentum consistat.

Qui non timet tantum patrare scelus, quantum est Deum testem vocare mendacii, Deum ipsum, quatenus primam veritatem lacessit, eique insignem adfert injuriam; qua in re animadvertendum est, non pejerare illum dumtaxat, qui tamquam verum affirmat, quod scit falsum esse, sed illum etiam, qui Sacramento affirmat id quod in se quidem verum est, sed quod falsum esse opinatur; mendacium quippe in hoc essentialiter positum est, ut aliquid contra proprium sensum, ac mentem dicatur.

In quo consistat promissorii juramenti perjurium.

Denique ille perjurii reus est, qui aliquid jurejurando pollicitus, animum habet promissi fidem non præstandi, vel qui cum aliquid interposita juramenti religione spoponderit, atque fidem persolvere possit, illam nullo pacto persolvit. Huic autem perjurio sese obiciunt, qui crebro jurare consueverunt, quemadmodum Sanctus Augustinus, aliique nonnulli Sancti Patres testantur. Immo neque secundum eosdem Patres licet aliquem ad jurandum compellere, cum metuendi ratio subest, futurum ut ille jusjurandum infringat; hoc enim est plurimum conferre, ut ille perjurus fiat.

PARAGRAPHUS VI.

Delectii ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Indignum est tot Fidelies audire juramenta, & blasphemias evomentes.

NOn desunt mortales adeo errorum tenebris obcæcati, ut quem Angeli glorificant, ei maledicere non vereantur. Neque enim lege semel lata deterrentur, quominus, Dei majestatem quotidie, imo singulis pene horis, ac momentis impudentissime audeant imminuere. Quisenim non videat, omnia jurejurando affirmari, omnia imprecationibus, & execrationibus referta esse? usque adeo ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat; Deique sanctissimum nomen millies in re levissima, & inani temere non usurpet? *Ex Catechismo Tridentini Concilii de secundo Præcepto c. 3.*

De juramenti origine.

Docet Sanctus Chrysostomus non nascente, sed jam adulto mundo, cum mala longe, lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihil suo loco, & ordine consisteret, sed perturbata omnia, & permixta

& permixta sursum, deorsumque magna rerum confusione ferrentur; & quod malorum omnium gravissimum est, mortales fere omnes in fædam idolorum servitutem seipsos abjecissent, tum denique longo sane intervallo jusjurandum in hominum consuetudinem irrepsisse. Nam cum in tanta hominum perfidia, & iniquitate, nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant. *Idem.*

Cur Juramentum institutum est.

Propter humanam imbecillitatem jusjurandum institutum est, & revera a malo provenit, quandoquidem aut jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet; Et quidem, dum inquit Salvator, *Sit sermo vester, est, est, non, non*; hac loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarium, & levium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipue a Domino admonemur, ne faciles nimium, & propensi ad jurandum simus; idque sedulo docendum erit, & fidelium auribus inculcandum. Infinita enim fere mala ex nimia jurandi consuetudine emanare, & sacrarum litterarum auctoritate, & sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa.* Item: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. Idem.* *Eccli. 23.*

Dei minæ in eos, qui nomen ipsius in vanum assumunt.

Tanta est hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non satis fuerit legem ferre, nisi etiam minæ adderentur: *Neque enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Ubi animadvertendum est nullum a Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantum universe minari, quicumque se hoc scelere adstrinxerit, non impune laturum. Quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati nos admonere debent. Hinc enim facile licet concipere, homines ea re in maximas calamitates incidere, quod huic præcepto non obtemperarent: quibus sibi propositis cautiores eos in posterum fore verisimile est .... Nam si omnis verbi otiosi in extremo judicio reddenda ratio est, quid de gravissimis sceleribus dicendum, quę magnam divini Nominis despicientiam præseferunt? *Idem.*

Quibus in occasionibus jurare liceat.

Quamvis omnibus in negotiorum generibus dixisse sufficere debet, *est, est, non, non*; accidunt nihilominus peculiares quædam occasiones, & necessitates, in quibus dictis jusjurandum addere cogimur, tunc vero præsertim cum de eorum salute, ac utilitate agitur, quibus volumus persuadere; atque hic est communis Ecclesiæ consensus permittentis, ut jusjurandum adhibeatur non solum, uti Sanctus Paulus in Evangelii prædicatione consueverat, ut populos ad salutis veritates credendas compelleret; verum etiam in fœderibus pacis, quæ inter Principes iciuntur, & cum Magistratus, atque dignitates vel sæcolares, vel Ecclesiasticas aggredimur, & cum in judicium producti interrogamur, atque interposita juramenti Religione Judices veritatem aperire nos jubent. Tunc non licet solum jurare, dictisque addere sacramentum; verum quædam adesse potest circumstantia, ubi peccaremus, si jurejurando aliquid affirmare detrectaremus; puta cum agitur de publica utilitate, & tranquillitate, vel de pace familiarum, quę alioquin jugibus diffidiis discerperentur. *Ethica Christiana in Pater l. 3. sect. 4. art. 2.*

Quantum dedecoris afferat divino nomini blasphemia.

Quamvis Dei nomen violetur, & dedecore afficiatur perjurio; multo majori tamen blasphemia illud afficit contumelia. Et ratio constat, Sanctus Augustinus ait, quia perjurio quidem Deus rei falsę testis vocatur; sed blasphemia de eodem Deo falsa dicit. Crimen hoc adeo est detestabile, ut Sapiens ne ex nomine quidem illud audeat nuncupare; sed fatis putat sub verborum involucro illud innuere, cum ante de juramento locutus addit. *Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob.* Illud vero ita perhorrescit Scriptura, ut de eodem loquatur verbis procul oppositum significantibus, veluti cum illud appellat *loquelam morti contrariam*, hoc est æterna morte dignissimam. *Ibidem art. 4.* *Eccli. 23.*

De præcepto de non assumendo nomine Dei frustra.

Quodlibet jusjurandum citra necessitatem vetitum est, & Dei mandatum violat, quo nomen ipsius in vanum prohibemur assumere, qui illud dedecorat blasphemiis, impiis subsannationibus, juramentis in levi re frequentibus, vel habitualibus sacramentis, vel promissionibus futilibus, inutilibusque jureiurando confirmatis. Propter hoc præceptum, quodlibet juramentum, quævis imprecatio in vanum facta opponitur huic mandato, & reverentiæ, quę Sanctissimo Dei nomini debetur. *Sanctum & terribile nomen ejus.* At quisnam e sæculo, quis mercator huic obtemperat legi? Qui proprio motu jurat, sine prudentia, sine judicio, & ex habitu in jugi pejerandi periculo versatur. Cum contra Dei jussum promittimus aliquid finceritatis nostræ sponforem assumentes vel Deum, vel divinum aliquid, id obligamus, quod nostrum non est, invito Domino, & inconsulto. Nobismetipsis imprecari in iis quę ad Cœlum terramve pertinent, in rebus sanctis, quarum Deus usum nobis largitus est; hoc est de nobismetipsis de Dei donis, ejusque creaturis disponere contra supremi Domini placitum, & voluntatem. Deus in Cœlo gloriam suam manifestat, tamquam in throno suo divinarum perfectionum suarum vestigia imprimit in iis, quæ in terra sunt, tamquam in pedaneo subsellio; ostendit regnum sanctitatis, & gratiæ suæ in Templo tamquam in loco sedis suæ, ac in domo sua: semper igitur nobis curæ sit Deum rebus in omnibus quærere, & colere, non autem illum in iisdem dedecorare. *Ibidem.*

Unde juramenti abusus proficiscatur.

Caveamus perquam diligenter ne oblevia temporalia commoda juramentum adhibeamus; hoc est abuti Religione, ac Deum pecuniæ submittere. Juramenti abusus proficiscitur vel ab illud exigentis diffidentia, vel ab illius, ex quo exigitur, nequitia, vel ab animi levitate, & irreverentia. Sapientia, probitas, & religio his malis omnibus medebuntur. Nihil Dei spiritui magis oppositum, ac Jesu Christi Doctrinæ contrarium, quam juramenta in Ecclesia efficere familiaria; hoc enim est, perjuriorum occasiones augere, infirmis, rudibusque laqueos tendere, atque nonnumquam Dei nomen, & veritatem impiorum commodo subjicere. *Ibidem.*

Quam indignum sit Dei nomen sine reverentia proferre.

Iterum de jurandi abstinentia vobis disseremus, & rogabimus charitatem vestram, ut multo circa hanc rem studio utatur. Quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominatim, & sine honoris præfatione appellare; Angelorum vero Dominum temere, & contemptim ubique jactare? Et si Evangelium quidem capere oporteat, manibus lotis & cum multa reverentia, & religione tremens, & timens sumis: Evangelii vero Dominum temere lingua passim versas? Vis discere, quommodo ipsum appellant supernę Virtutes, cum quanto honore, quanta consternatione, quanta admiratione? Videbam Dominum sedentem, inquit, in throno alto, & elevato, & Seraphim stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena omnis terra gloria ejus. Vidisti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum glorificantes, & laudantes? Tu vero in precibus quidem, & supplicationibus cum multo invocas ipsum torpore, quando horrescere oportebat, & vigilare, & sobrium esse; in jurando vero, cum nec omnino adducere admirabile nomen oporteat, varia quædam, & alia super alia connectis juramenta. Et qualis venia, quæ vero nobis erit excusatio, licet millies consuetudinem objiciamus? .... Impossibile enim, impossibile inquam est, meditantes, & studentes, & opus hoc facientes unquam superari. *Sanctus Chrysostomus Homil. 7. ad Populum Antiochenum.*

Blasphemos corripere, immo & punire tenemur.

Sed postquam de blasphemia a nobis verba nunc facta sunt, unam a vobis omnibus petere volo retributionem pro concione hac, atque sermone: ut in civitate blasphemantes mihi castigetis, & si quempiam in bivio, & foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, ne recuses; ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica. Et si ulli accusaverint, & si in judicium traxerint; sequere; & si pœnas Judex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemavit. Si enim Regem terræ blasphemantes puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen est, publica injuria, cuique accusare volenti. Discant & Judæi, & Gentiles quod civitatis conservatores sunt Christiani, & curatores, & præsides, & Magistri, & idem discant dissoluti, & perversi, quod & Dei servos ipsos timere oportet. *Idem Homilia prima.*

Supplicia, quibus Deus pejerantes afficit.

Recordare mihi quomodo juramentum hoc urbem ingressum & domos, & templum, & mœnia adificiaque splendida destruxit, & ruinam fecit civitatem, & neque sancta sanctorum, neque sacra vasa, nec aliud quicquam pœnam, & ultionem illam avertit, quia violatum fuerat juramentum. Et Civitas quidem tam miserabiliter solvebatur, Rex autem his miserabiliora, & tristiora patiebatur; & sicut ædificia falx ista volans destruxit, sic & hunc fugientem absumpsit. Egressus enim est Rex, inquit, no-

nocte de Civitate per viam portæ: & Chaldæi circumdederunt Civitatem & persecutus est exercitus Chaldæorum post Regem, & ceperunt eum, & comprehenderunt Regem, & duxerunt ipsum ad Regem Babylonis. Et locutus est Rex Babylonis cum Sedecia judicium, & occidit filios ipsius in oculis ejus, & oculos Sedeciæ excæcavit, & vinxit eum compedibus, & abduxit in Babylonem. Quid est, locutus est cum ipso judicium? ipsum rationes repetivit, rationem posuit cum ipso, & primum ipsius filios jugulavit, ut propriæ calamitatis spectator fieret. Et post tragœdiam illam miserabilem, tunc illum excæcavit. Qua de causa rursum hoc agitur? ut Magister barbaris abeat, & illic habitantibus Judæis, ut cernentes eum excæcatum, discant quantum mali sit juramentum. *Id. Homil.* 19.

Blasphemantium scelus, qui hac in re dæmonibus similes sunt.

Mortales, qui juramentis, atque blasphemiis assuevere, semper nomen dæmonis in ore gerunt, non loquuntur de alia re, nocentemque vitam suam efficiunt juge dæmonum, reproborumque exercitium. Impii isti in terris vivunt, uti dæmones in Inferno; se ipsos constituunt interpretes furoris dæmonum, & reproborum contra Deum, aliis sceleribus suis juramenta, blasphemiasque adjicientes: *Qui addunt super peccata sua blasphemiam.* (*Job* 34.) Ideo hoc vitium damnatis ipsis efficit nocentiores; hi quippe nonnisi per impatientiam cruciatuum, & per desperationem jurant, atque blasphemant: *Blasphemaverunt Deum Cœli præ doloribus, & vulneribus suis*; (*Apoc.* 7.) sed hujus Mundi blasphemi, nonnisi per nequitiam, impiamque voluptatem, quam ex blasphemiis percipiunt, illas effutiunt. *Manifestum est illos jurare, aut cupiditate, aut delectatione jurandi*, (*In Epistol. ad Gal.*) quemadmodum loquitur S. Augustinus, ita ut si excusari damnati possent, inde excusarentur quod blasphemias evomunt in Deum severum, atque inexorabilem, at impii non damnari non possunt, qui debacchantur in Deum bonum, & misericordem, qui illos tunc etiam patitur, cum ab illis injuriosius lacessitur. *Liber cui titulus:* Guerre aux vices: *prælio contra juramentum art.* I.

Quinam rei sint perjurii, & blasphemiæ.

Quinam illi sunt qui coram Deo obstricti sunt adeo atrocibus sceleribus, qualia sunt juramenta, & blasphemia? Qui Dei nomen in vanum jurant, videlicet temere, & sine ulla necessitate; *non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* (*Exod.* 20.) Qui dubitant de eo, quod interposita juramenti fide confirmant, quasi plenissimam ejus rei certitudinem essent assecuti. Qui scandalum præbent aliis per juramenta, quæ coram pluribus proferunt. Qui jurant, ut perspecta affirment mendacia, vel deliberato animo fallendi, ac promissi fidem nequaquam præstandi: quia eorum jurandi consuetudo transit in necessitatem sæpe committendi perjuria: *Assiduitas jurandi perjurii consuetudinem facit.* (*Isidor. lib.* 2. *Sent.*) Horum autem impietas adhuc nequior est, cum evomunt injurias, imprecationes, & maledicta in eos, quos tamquam iræ suæ objectum respiciunt, quin consanguineos, & propinquos excipiant: Eum improbe jurante hoc est animo adimplendi malum, quod se facturos minitantur; quasi omnem sibi viam intercludere vellent palinodiam canendi, impio sese Sacramento obstringentes; cum denique in se efformare conantur detestabilem jurandi consuetudinem, quæ sermoni suo ornatum aliquem tribuat, quæ illis gratiam apud impios conciliet nefaria hac, & irridenda jurandi, pejerandique per fas, nefasque vanitate. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Hoc in numero illi etiam recensendi sunt, qui filios suos, famulos, vel subditos jurare, & blasphemare patiuntur, quin in illos animadvertant; etenim seipsos eorum criminum sontes efficiunt, quæ minime puniunt. *Qui audierit vocem jurantis &c. nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.* (*Lev.* 5.) Qui excogitant, vel ex aliis regionibus advehunt novos jurandi, vel blasphemandi modos; qui imitantur dæmones hos in humana carne viventes, nihilo minus nocentes sunt illis, quorum sequuntur exempla; & denique omnes impii, qui peculiariter Jesu Christi personam afficiunt contumelia, illum per caput, corpus, sanguinem, & mortem lacessentes. Ex his autem omnibus juramentorum, blasphemiarumque generibus liquet horum impiorum hominum vitam omnino similem esse vitæ dæmonum, & reproborum, quia in terris id agunt, quod miseri illi non nisi in inferis præstant. *Idem.*

In blasphemia non deest insolentia.

Aliquid semper insolentiæ in blasphemia invenitur; hoc enim peccatum directe Deum ipsum offendit, & si aliorum pleraque, vel magis timida, vel arctioribus conclusa finibus illum directe dumtaxat lacessunt, hoc per diabolicam improbitatem eum in ipso petit solio, utque illum lædat aggreditur. *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* (*Job* 15.) Hæ locutiones, quibus Spiritus Sanctus utitur blasphemi hypotiposim concinnaturus, admirabiles profecto sunt. Non ait illum, uti cæteros peccatores manum suam ad creaturas extendere, illis perfruiturum; sed ait illum in Deum tendere, ut eumdem afficiat contumelia. Non dicit illum roborari, sive ut impune suam exerceat impotentiam, uti latrones, ac fures, sive ut criminosis sese ingurgitet voluptatibus prævalidis corporis viribus, ut impudici, ac libidinosi: sed ait illum ideo viribus prævalere ut omnipotenti adversetur, ac improbe in illum insurgat. Horribilem impietatem! cum homo sese impudicitiis, atque libidini immergit; cum alius ultionis persequendæ rationem scrutatur; cum ille per fas, & nefas undequaque opes congerere studet; cum hic noxiis voluptatibus oblectatur, vellent omnes citra Dei offensam suis affectibus indulgere; utque conscientiæ suæ stimulos retundant, sibi persuadere volunt, illum sese his rebus non immiscere, & malum tantum non esse, quantum censetur. Sed blasphemus per impudentissimam insolentiam Deum petit; illum palam aggreditur, neque eum reveretur, neque ullam ejusdem habet rationem. *Liber, cui titulus: Essais de Sermons pour la Dominicale. Dominica* 18. *post Pentecosten.*

Blasphemiarum impietas.

Neque vero semper per furorem, atque impatientiam blasphematur, sæpe etiam id consulto fit, ac per sacrilegam animi tranquillitatem; non semper, quia invitis elabuntur verba, sed semper quia Deo irati sumus, quem cum consiliis nostris contrarium inveniamus, blasphemiis ultionem reposcere quærimus; quod ego quidem enorme scelus, ac diabolicam voco impietatem. Aliquis (exempli gratia in ludis, & aleis pecuniam amittit, vel negotium, a quo fortuna illius pendere videbatur, passum ire videt; alius afficitur contumelia, vel ab inimico incommodatur, ita ut se in rerum omnium egestate squalere conspiciat, modo paupertate, & paupertatis ærumnis vexatus, modo litibus oppressus, & a creditoribus exagitatus, quid agit? Non valens, vel non audens adversus creaturas irasci, Creatorem petit, & quasi Deus blasphemiis ejus non afficeretur, vel potius quasi Deus luere deberet pœnam calamitatum, quibus ille premitur, eum odit, illius sapientiam vituperat, providentiam, justitiamque condemnat: in illum fel, rabiemque evomit suam, in illum suas contorquet imprecationes, & quam cuperet ex eo referre non valens vindictam, hac saltem crudeli frui vult voluptate eum maledictis petendi. *Ibidem.*

Blasphemia peccatum est meræ nequitiæ.

Blasphemia peccatum est meræ nequitiæ; ad illam non cupiditate, non utilitate, non necessitate, non voluptate ferri possumus. Cum aliquis aliena suffuratur bona, mendacium profert, ut fallat, vel bonum aliquod invenit, vel sperat se inventurum: cum latro viatorem trucidat, argento potiri vult; sed qui blasphemat, quam ex scelere suo utilitatem percipiet? Num honorem quærit? Immo e contra, quicumque illum audiunt, horrent, & execrantur. Rem auget suam? num, quam ante, ditior est? Nequaquam si pauper erat ante blasphemiam, post eamdem æque pauper est; ideoque nullo quæstu ad blasphemandum adigitur. Immo neque illum compellit necessitas. Extrema quidem paupertas plurima patrare jubet scelera. Qui plurimos habet filios, & alieno ære pressus est, quem creditor, & fames urgent, cui panis deest, quem comedat, & vestes, quibus tegatur, facile furtum exercet. Sed quæ necessitas hominem blasphemare cogit? Neque voluptas in blasphemia reperiri dicenda est; hoc enim monstrum est illum ipsum devorans, per quem nascitur, livore, ac pœna, qua illum excruciat. *Breteville in specimine Sermonum. Sermone pro feria quarta post Passionis Dominicam.*

Peccatum est, quod nullo pacto potest excusari.

Nullus est peccator, qui non aliquam adferat excusationem, ut sua probet flagitia; ultionis cupidus sibi illatam prætexit injuriam; fur suæ peupertatis magnitudinem; libidinosus voluptatum illecebras, atque suavissimi objecti præsentiam. Scio equidem, te Deus, nequaquam aures præbiturum hujusmodi excusationibus, sed potius te peccatores confusione repleturum; verum quoque scio te severius in blasphemos esse animadversurum, qui nullam afferre poterunt excusationem ad imminuendam nequitiæ, insaniæque suæ magnitudinem. *Idem.*

Ultio, quæ repetit Deus blasphemantibus.

Non miror, si Deus semper insignem, terribilemque peccati hujus vindictam poposcit. Satis est sacras percurrere litteras, ut ibi funesta illius videan-

tur

tur exempla. Ibi enim videbitis ultra octuaginta hominum millia ab Angelo cæsa ad ulciscendam blasphemiam Ducis cujusdam Regis Sennacherib, ipsumque Sennacherib, quo auctore illud factum fuerat, a propriis filiis confossum: ibi videbitis impiam blasphemantium manum, qui viventes adhuc igni absumuntur, atque sceleratorum hominum multitudinem fæda cæde deletam; ibi sortem deplorabitis nefarii blasphemi, qui Deo jubente lapidibus obrutus fuit. *Educ*, ait Deus Moysi, *blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* (*Lev.* 24.) Contremiscite hæc terribilia videntes supplicia, o blasphemi; homo hic qui a Deo tanta severitate punitus fuit, semel tantum blasphemaverat. Eheu! quid vobis erit metuendum, qui in singula momenta sexcentas in Deum blasphemias evomitis! *Idem.*

Blasphemantium cum damnatis comparatio.

Damnati suimetipsorum carnifices sunt, atque Divina Justitia proprio ipsorum corde utitur ad illos torquendos. Hoc ipsum blasphemis accidit; in seipsis supplicium quod merentur, inveniunt, & cor eorum sævissimus sit carnifex ipsorum. Duæ res efficiunt interius damnatorum supplicium. Altera est quod in singula momenta infinita desideria concipiunt, quæ cum numquam expleantur, illos jugis exagitant desperatione. *Desiderium peccatorum peribit*; (*Psalm.* 11.) Altera vero est conscientia, quæ quidam est sævissimus vermis, qui eos rodit, & devorat. *Vermis eorum non moritur.* (*Marc.* 9.) Hæc est imago cordis blasphemantium, hoc illos interiori conficit rabie, quod videlicet possidere nequeunt, quod cupiunt, & violenter cupiunt, quod nequeunt possidere. Exempli gratia, blasphemus ludit, & vincere desiderat, voti nequaquam fit compos; vehementer desiderat, & quo magis desiderat, minus obtinet, & quo minus obtinet, eo magis rabie disrumpitur: *Desiderium peccatorum peribit.* Ille victor abire cupit in judicio, sibique litem, quam perperam intulit, adjudicari; ardentia illius desideria sexcentas gignunt blasphemias; hæ blasphemiæ recentia fovent desideria adhuc vehementiora; atque desiderando, & sperando ille se in desperationis abyssum immergit: *Desiderium peccatorum peribit.* Hic mente repetite, quod proculdubio sæpe vidistis; nonne verum est, tibi blasphemus furere videtur, se ipsum discerpere, capillos ejus rigere, ac præ rabie spumosum os gerere? nonne verum est inquam; credi posse hominem nuper ex inferis egressum, in se ipso proprium scelus punientem? Exterior etiam blasphemi figura, Sapiens ait, magnum est furoris, quo intus agitur, indicium, rigent capilli capitis ejus, & solus intuitus horrorem ciet: *Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio aurium. Idem.*

De blasphemantibus nomen, mortem, & sanguinem JesuChristi.

Miseri, & impii blasphematores, cogitatisne injuriam, quam nomini, & sanguini vestri Salvatoris infertis? mereturne plenum misericordiæ, ac salutis nomen a vobis blaspemiis proscindi? Recordamini sanguinem hunc, quem blasphematis, esse redemptionis vestræ pretium? ingrati, & infideles! potestisne mortem optare huic eidem Deo qui pro vobis est mortuus: Eheu! quam metuendum est, ne de salute vestra æque actum sit, ac de Judæorum, qui per blasphemias, quas in hunc eumdem Dominum evomuerunt, Dei maledictiones, mortalium omnium odia, æternamque reprobationem sibi conflarunt. Ne id permittas, o Deus! sed potius maxima tuarum misericordiarum erga illos utere, ut sceleris sui agnoscant magnitudinem atque hoc ipsum os, quo te blasphemarunt, impendant, ut in hac vita, ac in altera quoque te laudibus æternis prosequantur. *Idem.*

Numquam licet Dei nomen blasphemare.

Juramenta quædam licita sunt, & sine peccato fiunt; at nulla blasphemia est citra gravissimum scelus. Jurari potest, dummodo cum veritate, justitia, judicioque fiat, sed quæcumque sese offerat occasio, numquam sine execrabili scelere nomen Dei licet blasphemare: nomen, coram quo omne genu flecti debet; nomen, ad cujus sonitum quidquid in Cœlo, terra, & inferis est, contremiscit; nomen nihilominus in quod blasphemi abominabiles evomunt suas execrationes. Utique; hoc ineffabile, hoc venerabile, hoc majestatis, gloriæque plenum nomen hodie sine ulla necessitate, ac reverentia profertur; & quod magis mirum est, nomen hoc non juramentis solum, inutilibusque sacramentis proscinditur, verum etiam impiis blasphemiis proteritur, & dedecoratur. *Dictinarium morale sermone primo de blasphemia.*

Blasphematur contra Deum, a quo nonnisi bona recepimus.

Cum Sanctus Polycarpus sævissimis torqueretur suppliciis; impiusque tyrannus illi dixisset, ipsum ex illis ereptum iri, se jubente, si contra Deum blasphemasset, cumque negasset, dicitur fidelis, & generosus martyr hæc illi reddidisse; toto vitæ meæ spatio nonnisi bonis a Deo cumulatus fui, cur illi maledicam? Octuaginta annorum spatio infinita propemodum mihi contulit beneficia; cum illum negem, ac nomen ejusdem blasphemem! Dignam insigni Martyre considerationem! quæ tamen a vobis repetenda esset, a vobis, inquam, qui horribili impietate in Deum exardescitis, qui tanta vos dilectione prosequitur; in Deum, qui posset ille quidem hodie illud dicere, quod olim Judæis lapidibus, silicibusque sævire cupientibus: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* (*Joann.* 10.) Ingrati, inhumani, barbari cur mihi maledicitis? Num quia vos creavi, vos servavi, vos genui in Ecclesiæ meæ sinu, vos e tot malis servavi, ac tot beneficiis imprecationibus, atque contumeliis me ipsum proscinditis? *Idem.*

Æternæ blasphemantium pœnæ.

Extremæ blasphemantium pœnæ, & quæ proculdubio sunt præ cæteris maxime terribiles, æternæ sunt pœnæ Angeli apostatæ! propter hoc scelus vos præcipites de Cœlo in Infernum dati fuistis: & vos qui geritis bestiæ caracterem, propter hoc scelus iisdem suppliciis trademini. Ego ipse vidi, Sanctus Joannes ait, ego vidi bestiam hanc de mari egredientem, septem habebat capita; & in capitibus istis descripta erant nomina blasphemiæ. (*Apoc.* 13.) Cum illi permissum fuit aperire guttur, non nisi blasphemiæ illinc prodiere; sed tandem in æternum projecta fuit in abyssum, & qui in illius partes concesserunt conjecti sunt in stagnum sulphuris, & ignis. Hoc illud supplicium est, quod blasphemos manet. *Idem.*

De sacra Salvatoris membra blasphemantibus.

Venerabilia Corporis Salvatoris nostri membra! Quibus tot, tantaque debemus, eheu! quam indigne ab hominibus mulctata estis! Augustum Hominis Dei caput spinis coronatum, Jesu Christi venter flagellis, verberibusque percusse! pretiose Sanguis Jesu, pro nostra redemptione effuse! divina mors Jesu vitæ nostræ principium! opusne erat, ut hodie in nobis instauraretur dolor intuentibus vos sacrilegis, impiisque linguis dedecore affecta? Salvator adorabilis! quam magna est patientia, quæ hujusmodi tolerat impietates? Exterminatores Angeli, divinæ ultionis Ministri, desuntne vobis fulmina, quæ in nefaria capita contorqueatis? Impii! Vos patitur Deus; sed in altera vita vos longe gravioribus suppliciis reservat, quam quæ in hac pateremini. Impii! vos patitur Deus; sed hodierna fortasse dies postrema dies est misericodiæ ipsius, postquam nisi serio vosmet convertitis, nulla vobis futura est pœnitentia. *Idem.*

Ira fons blasphemiarum.

Prima tela, quæ jaculetur ira, sunt maledicta, & imprecationes. Cum illis, qui nobis adversantur, tantum mali efficere nequeamus, quantum cuperemus, hæc tristi saltem, crudelique voluptate perfruimur, quod omnia illis mala imprecamur; in illos exardescimus, illos contumeliis proscindimus, illos injuriosis dicteriis cumulamus; atque in iracundia nostra imprecationes, malaque desideria sunt arma, quibus statim fervens, sed infirmus invalidusque utitur affectus. Verum violentus, ac furens homo hic non subsistit. Per summam insolentiam in Deum ipsum insurgit, in illum maledicta furoris sui jacula exhaurit, & quasi ille futurus esser iræ suæ victima, hujusmodi imprecationibus contra creaturas in Creatoris contumeliam sua addit maledicta, atque blasphemias. Viden hunc militem, audien' hunc sub mortali specie dæmonem? Sacrilegum os suum non aperit, nisi ut Deo maledicat, eumque abneget; huc tandem furor ejus redit. Judæis ipsis, Ethnicisque nequior singulis momentis in horribiles erumpit blasphemias. Viden' lusorem hunc? non satis est illi aleas discindere, tala in ignem conjicere, cum suas perdit opes; non satis est illi vel suum deflere infortunium, vel alienam insimulare versutiam, & calliditatem; Deum ipsum incusat, in illum suæ infelicitatis causam retorquet, cumque nullum possit illi detrimentum inferre, quod rabie illius ultionis cupida maxime vellet, divinitatem ejus proterit, eamque, ut ita dicam, suæ mactat iracundiæ. Audin' causidicum judicio victum? herum in famulos, vel patrem in filios ira succensum? Audin' execrationes, & blasphemias, quæ præ terrore horrorem injiciunt illis, qui earum vel testes sunt, vel infelices victimæ? Hæc prima sunt iræ ipsorum jacula: in hæc illorum furor statim erum-

pit:

pit: *Prima irarum tela maledicta sunt. Idem.*

Zelus contra blasphemos ostendendus.

Ne erretis, Fideles. Audire blasphemiis Dei nomen Ixdi, & quiescere, nulloque affici metu, quasi Deo illata contumelia, ad nos minime pertineret, hoc sane est alieni peccati fieri consortes. Vos ergo, quibus zelus secundum scientiam inspirare debet acres sensus injuriarum, quibus divinum nomen afficitur, inultum patiemini Deum exercituum, ac Dominum virtutum, & æquo feretis animo, impiis blasphemiis sanctissimum nomen illius inquinari? Quinam sunt vestri de Deo sensus in tanta ignavia, & quos Dei de vobis sensus esse putatis? Quid, inquam, vos de Deo sentitis? Si enim Pater vester est, Dominus, Amicus, Rex vester; si qualitates hujusmodi in aliis divisæ in uno illo coalescunt, nonne multis de causis gloriam ejusdem tueri debetis? Potestisne citra crimen ferre, ut vobis audientibus, atque inspectantibus debita illi minime adhibeatur reverentia? Quæ vestra esset cogitatio de filio, frigide audiente maledicta contra parentem suum prolata? de servo, qui non moveretur injuriis, quibus herus suus peteretur; de amico, qui contumelioso silentio fineret amico obtrectari? de subdito, qui Regis sui gloriam haud ægre ferret imminui? Hic, utique diceretis, inhumanus est filius, infidelis famulus, non sincerus amicus, subditus indignus: omniumque mollem, turpemque ignaviam severissimis suppliciis coercendam esse existimaretis. *Idem.*

Quid cum blasphemis agendum.

Quid autem vobis hac in occasione faciendum sit, expediam. Si qui has proferunt blasphemias, supra vos sunt; eorum vicem dolete, atque a Deo illorum conversionem exposcite. Si vobis pares sunt, ab illis recedite, eorumque familiaritatem abdicate. Si inferiores, eos corripite, ac severe in illos animadvertite. Parentes sine ulla miseratione punite filios, qui Dei nomen blasphemant, Domini, dominæque domibus vestris elicite servos impios, & cavete ne, si illos passi fueritis, in caput vestrum Dei maledictiones detorqueatis. Sanctificate manus vestras actione adeo sancta, illos ea, quam tantum meretur crimen, severitate punientes. Denique quicumque estis, ne blasphemetis Dei nomen, neque coram vobis ab aliis blasphemari patiamini. *Idem.*

Perjurium, ac falsum jusjurandi omnem civilem vitam perturbant.

Contra veritatem pejerare, est veritatem prorsus evertere velle, ac uti posse hac similitudine mihi videor, in publica vita idem esse pejerantem, ac in vita civili falsa nota pecunias adulterantem. In civili vita pecunia ultro, citroque currit, & commercium facit; verum quid efficit, illam adulterans? Sequioris notæ aurum argentumque conflat, & dummodo Principis imago imprimatur, satis est, omnes hac moneta fallentur. Quid agit perjurus? Verborum suorum falsitatem divinæ veritatis imagine notat; & omnes illi adhibent fidem. Contractus ille actus, transactusque est; & quod falso juratum fuit, creditur. Interim publica res agitur; & cum falsum affirmanti non creditur; hic Dei ipsius veritate suum mendacium confirmat. *Ex Manuscripto Sermone.*

In re levi jurare, magnum est crimen.

At enim, numquid ideo grave scelus patravi? De re levi agebatur, cum contra veritatem jusjurandum adhibui, & me gravi culpa obstrictum reris? Meum illic non est de conscientiæ casibus disceptare, neque volo istic interorum abyssum cuiquam aperire: Verum momento, quo levior res est, pro qua juratur, eo gravius coram Deo crimen esse. In jurejurando longe aliter sentiendum est, ac in furto, ubi neminem gravi culpa damnabo, eo quod rem modico æstimatam pretio furripuerit, quia nimium levis est materia; sed in jurejurando quo levior est materia, eo gravior est noxa. Et ratio constat, quia cum pravi momenti materia est, a te magis Deum contemni ostendis: quia pro levi re, Dei nomen prophanas. Hæc est Sancti Chrysostomi argumentatio. *Idem.*

Non desunt occasiones quædam, in quibus facilis patet in perjurium lapsus, iis vero præsertim, qui publicos honores gerunt, nisi diligentius animum advertant. Exigitur enim coram Rege, vel superioribus Magistratibus juramentum, te in munere tuo obeundo justitiam servaturum; nullam a te concussionem, nullam injustitiam patratum iri; idque simul coram Deo profiteris; attamen te magistratum obtinente, quot injustitiæ patrantur? Non solum totidem peccata committis, quæ ab injustitiis separari non possunt, verum etiam totidem perjuria propter juramentum, quod violas. *Ex Manuscripto Sermone.*

Cum jurandum est, magna adesse necessitas debet; & de re prorsus necessaria agi opus est. Attamen quot in hujusmodi circumstantiis deficiunt? Jurant sine necessitate, ac per habitum pravum, quem contraxerunt, quatuor proferre verba non possunt, quin jurent; & hoc sermonis ornamentum putant. Esto quidem, vera dicant; & quænam est juraudi necessitas? quis illos cogit fidem suam pro re nullius pretii polluere? Juras, ut dicto fidem concilies! At si bonus es Christianus, & injurato habebunt fidem. Dicis te fecisse, vel facturum esse aliquid, atque, ut quod dicis confirmes, juras; quænam hic necessitas adest? Ad hæc pro rebus justis, & æquis jurandum est. Contra hanc circumstantiam peccant, qui aliquid se facturos jurant, quin quid hoc rei sit, sciant; ut Herodes, qui infami saltatrici se concessurum juravit quidquid illa peteret: & hoc illi promittens, implicite, illud etiam se facturum recepit, quod nequissimum erat; verum tantum abest, quod jusjurandum adimplere teneretur, ut immo illud non implere teneretur . . . Alii profitentur se illicita facturos: veluti injuriæ ultionem persecuturos, innocentem oppressuros; qui juramenta illi similia faciunt, quod olim Judæi, se videlicet Sanctum Paulum occisuros: *Devotione se devoverunt &c.* Juramentum cum sit actus Religionis, non debet esse actus iniquitatis. *Juramentum non est vinculum iniquitatis.* Et hæc promissa, hæc juramenta numquam adimplenda sunt; hoc enim est scelera sceleribus addere. *Idem.*

Cum jurandum est, magna opus est circumspectione.

Act. 23.

De juramento generatim.

Hic funestissimus sermo est, qui vel in terra, vel in inferis haberi queat sermo. Nihilominus ex eo plurimi præcipuum orationis suæ ornatum constituunt; ac benedicendi artem se nactos putant, horribilem hanc loquendi rationem edocti. Ibi etiam commentitiam nescio quam generositatem inesse putant, neque strenuos se haberi posse putarent, nisi in singula, quæ proferunt verba, hujusmodi locutionem aliquam adderent, & nisi quidquid sacratius est crebro in ore gererent. Omnia fere quæ dicunt sunt perjuria, & divini nominis prophanationes; illud enim testimonium accersunt eorum omnium, quæ dicunt, futilia licet sint, atque falsa. *De la Volpilliere.*

Fidelium blasphemiæ Deo permolestæ.

Blasphemus ex D. Thomæ sententia, infidelis est; saltem alterius improbitas ab alterius improbitate non longe abluit; & dici etiam posset blasphemus, qui indigne id polluit, quod credit, infideli non credente deterior esse; ignorantia enim peccati nequitiam, & gravitatem imminuit; & contemptus, quo ab amicis excipimur, magis molestus est, quam quo excipimur ab alienis, a quibus ignoramur; & Dei Filius de Fideli blasphemias evomente jure usurpare potest hæc Prophetæ verba: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; Tu vero homo unanimis, & notus meus qui mecum dulces capiebas cibos*, filius Ecclesiæ meæ, per sanguinem meum regeneratus, spiritu meo adoptatus, ad mensam meam invitatus, corpore saginatus meo, post tot adeo insignia beneficia, post tot benedictiones, quibus cumulatus fuisti, tu inquam mihi maledicis, mea blasphemas, quibus nutriris, sacramenta; meis, qui te protegunt, Sanctis obtrectas; meum, qui te redemit, sanguinem conculcas; potestatem meam, quæ te incolumem servat, contemnis; bonitatem, & misericordiam, quæ te invitat, atque licet indignum adhuc præstolatur, aspernaris. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. Molinier Serm. pro fer. 4. post test. Quadragesimæ Dom.*

Psalm. 54.

Qui jurant, id probatari, quod dicunt, se fide indignos ostendunt.

Plurimi sunt, qui satis bene constituta existimatione perfruentes, ultro jacturam faciunt ejus honestatis, quam suapte natura maximo habent in pretio. Quod dicunt, jurejurando affirmant, quasi non puderet ipsos se fide indignos fateri, quasi ægre non ferrent, sibi ab aliis idem negari. Et sane jurare, ne quis dubitet de veritate eorum, quæ dicimus, idem est ac fateri non deesse dubitandi causam, neque satis probitatis inesse nobis, ut fidem mereamur. Hoc in loco ad examen non revoco injuriam, quæ Deo fit, cum in rebus exiguis, abjectisque asseritur veritas vel per sanctum nomen ipsius, vel per creaturarum ejus testimonium; loquor solum de injuria, quam sibimetipsis inferunt, qui facile hanc sibi licentiam assumunt. Existimationis fidei suæ assertores adeo solliciti, ut noxiam accendant iram in eos si qui per diffidentiam eidem officere audeant; ipsi illam obscurant, atque evertunt turpi ejus infidelitatis, quam fortasse horrent, confessione. *Liber, qui inscribitur: Animadversiones in varia Religionis, Ethicæque argumenta.*

FINIS TOMI SECUNDI.